194

M·

34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34

KW
194 M 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34

MicroChamber ©
Beschermd
KB

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34

B
68

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS DE

Polygamia Succeſsiva.

QUAM

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. GERARDI NOODT, Juriſconſulti,
& in Academiâ Lugduno-Batavâ
Anteceſſoris Ordinarii,

NEC NON

Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis JURIDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in UTROQUE JURE Honoribus, & Privilegiis ritè ac legitimè obtinendis,

Publico examini ſubmittit

WERNERUS ZUR MÜHLEN, *Friſ.-Orient.*

Ad diem 5 *Septemb. loco horiſque ſolitis.*



KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK 'S GRAVENHAGE

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. MDC XCVIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34

FAUTORIBUS
ATQUE
AMICIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34

Q. D. B. V.

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS, DE

Polygamia Succeſsiva.

PRÆFATIO.

Doctoratus gradum capeſſenti cum ex recepto Academiarum more argumentum aliquod publici examinis edendum eſſet, operam dandam eſſe arbitratus ſum, ne materiam ſeligerem antiquam & obſoletam, ſed talem potius, quæ dignitatis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34

ac utilitatis characterem præ ſe ferret. In hoc propoſito verſatus incidi in materiam de ſecundis Nuptiis non minus utilitate quam varietate blandientem. Eaque, ut ad ſcopum meum apprimè idonea, placuit ad ſpecimen Diſputationis Inauguralis ſuppeditandum. Quod titulo paululum ampliori, Polygamiæ Succeſſivæ ſcilicet, eam inſignive-rim, hæc eſt ratio. Acturi nempe in illa ſumus de Jure harum nuptiarum, de tempore eas legitimè ineundi, de pœnis illas coërcendi, de modis denique quibus ceſſant hæ pœnæ. Et hæc omnia non tantum ſecundis, ſed & cunctis ulterioribus conveniunt nuptiis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34

CAPUT I.

§. I.

Polygamiæ vocabulum igitur origine quidem Græcum, Latinis tamen adeo uſitatum eſt, ut jam ſatis civitate donatum videatur. Itaque ne circa etymologiam ipſius prolixiores ſimus vel monuiſſe ſufficiat, verbum illud compoſitum ex Græco ϖλὺς multus, & γάμοι nuptiæ, haud commodius quam per pluralitatem nuptiarum interpretari atque deſcribi poſſe.

§. II.

Illa vero nuptiarum pluralitas dividitur vulgo, nec ut videtur inepte, in Simultaneam ac Succeſſivam, prior, qua ſimul, poſterior, qua ſucceſſive plura contrahuntur matrimonia. De ultima hac ſpecie cum ſermo nobis ſit, priorem leviter ſaltem attingamus.

§. III.

Simultanea itaque polygamia rurſus diſcerni ſolet in virilem ac muliebrem. Muliebrem hanc quod attinet, qua plures mariti uni ſimul promiſcue junguntur uxori, de ea, quin ut ipſâ naturâ turpis ac nefaria plane abominanda ſit, uti nec fas eſt, haud quenquam dubitaturum arbitramur.

§. IV.

De Simultanea autem virili, qua plures eodem tempore uxores uni aſſociantur marito, utrum juri

B 68

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34

naturæ repugnet nec ne, haud ſatis inter eruditos convenire ſolet. Dantur nonnulli, qui cum Grotio negandum hoc cenſent, aliis tamen affirmare idem tutius non minus quam juſtius videtur, inter quos eminet Ampliſſimus omneque præconium noſtrum excedens D. Huberus *part.* 1. *Digreſſ. lib.* 2. *cap.* 16. Nos vero hic de naturali jure prolixius hac parte neutiquam diſputabimus, cum quia hoc noſtri jam inſtitati excederet rationem, tum quoniam ſufficit nobis utramque hanc polygamiam, tam virilem quam muliebrem, notiſſimâ non tantum humanâ ſed & divina autoritate omnino eſſe prohibitam.

§. V.

Miſſâ nunc igitur hac ſpecie ad ſucceſſivam accedamus Polygamiam, qua priori matrimonio rite ſoluto ad ſecundas, tertias aut ulteriores tranſitur nuptias. Hanc vero, tam virorum reſpectu quam foeminarum nullo unquam jure prohibitam fuiſſe nemo facile inſicias ibit. Nec gentes aliquas ab hac polygamia, tanquam illegitima, ſerio unquam abhorruiſſe ex ullis hiſtoriarum monumentis probari poterit.

§. VI.

Negandum quidem non eſt, nonnullos aliquando fuiſſe inter ipſos etiam paganos, quibus hoc genus nuptiarum propter plurima ipſius incommoda in læſæ quaſi caſtitatis argumentum quam maxime fuerit exoſum, veluti ex plurimis conſtat veterum autoribus, luculentiſſimè vero ex Val. Maximo *lib.* 2. *cap.* 1. *§.* 3. in hunc modum referente: *quæ uno contentæ matri-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34

trimonio fuerant, corona pudicitiæ honorabantur multorumque matrimoniorum experientiam quaſi illegitimæ cujuſdam intemperantiæ ſignum eſſe credebant.

§. VII.

Tametſi vero Romanorum antiquiores, de quibus Val. Max. loquitur, ita ſenſerint, tractu temporis nihilominus iidem Romani, rem procreatione ſobolis tam utilem Reipublicæ interpretatione adjuvandam exiſtimantes, haud minori favore ſecundas nuptias ac primas proſequi cœperunt *arg. l. 62. §. 2. l. 64. §. 1. d. cond. & demonſt.* Tantumque abfuit, ut illarum libertatem quibuſdam poenis cohibere atque reſtringere voluerint, ut potius illos, qui viduitatem præ iterato matrimonio ſibi elegiſſent, nihil minus, quam id temporis cœlibes, mulitandos eſſe cenſuerint. Feſtus. *in fin. libro. de verb. ſign.*

§. VIII.

Sed cum Imperatores in Chriſtianam tranſiere Eccleſiam, cujus plerique Doctores primis temporibus duriorem de ſecundis nuptiis fovebant ſententiam, illi quoque ſeculorum opinionem ſecuti, iniquiores aduerſus haſce nuptias cœperunt eſſe cenſores. Hinc Juſtinianus in *l. ult. C. quand. mul. tut. off.* viduam, quæ non tranſit ad ſecundas nuptias *pudicitiam ſuam*, ait, *intactam conſervare.* Item *in l. 3. C. de ſec. nupt. matrem ſecundis nuptiis*, inquit *funeſtari* adde *l. 22. C. d. adminiſt. tut.*

§. IX.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34

§. IX.

Quamvis autem licentius ita, ac forte minus honorificè quam par erat Imperatores in repetitas invecti fuerint nuptias, penitus tamen eas, uti nec poſſent Apoſtolica impediti autoritate. 1. *ad Cor.* 7. *in fin.* 1. *ad Timoth.* 5. *v.* 14. neutiquam prohibuerunt: Sed propter plurimas ſequentium nuptiarum incongruentias, quibus procreata ſoboles plerumque contriſtari ſolet *Nov.* 22. *cap.* 20. pœnis tantummodo quibusdam, quam maximè, uti videbimus, in gratiam ſobolis prioris copulæ, ſucceſſivam hanc polygamiam infeſtare atque reſtringere voluerunt.

CAPUT II.

§. I.

Priusquam vero ad illas progrediamur pœnas, de tempore Succeſſivam Polygamiam legitime ineundi pauca præmittamus. Tempus illud cedere dicitur vivo utroque conjuge, vel moriente alterutro. Inter vivos quod accidit, quando ob juſtam divortii cauſam matrimonium diſſolvitur, hoc cum ad divorti materiam pertineat, ac latioris indigeat explicationis, ad noſtrum argumentum, brevitati alioquin ſtudentes, minimè trahemus; ſed illicó ad tempus, quod poſt mortem conjugis alterius contingit, pergimus.

§. II.

Quemadmodum igitur mors omnia ſolvit, omniumque rerum linea dicitur ultima, ſic quin & conjugio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34

gio finem imponat, quis unquam facile in dubium vocabit? Per mortem itaque matrimonio legitimè dirempto, ſuperſtes conjux non ſolum omni conjugali vinculo penitus liberatur, ſed & apertiſſimo tam divino quam humano jure ad alia transeundi vota liberrima ei conceditur facultas.

§. III.

Cum tamen vel maxime verendum, ne à parte fœminarum, quæ variæ alioquin ſemper & mutabiles dicuntur, per nimiam ad ſecundas nuptias properationem ſanguinis aliqua turbatio *l.* 11. §. 1. *ff. D. d. his qui not. inf.* & hinc generationis incertitudo oriatur; aur ne reverentia ac religio, per *l.* 14. §. 1. *ff. ſol. matrim. l.* 4. *C. ad SC. Tertull.* maritis exhibenda, immaturitate nuptiarum aliquatenus lædatur: Idcirco tempus quoddam determinatum videmus, quo viduæ, antequam animum ſecundò ad matrimonium applicent, maritum elugeant, quæ viris, uti Pompejus ad Corneliam ſuam ait apud Lucanum, ultima debet eſſe fides.

§. IV.

Veteres equidem Romani decem menſes huic tempori ſufficere duxerunt, veluti teſtatur Ovid. *in faſt. lib.* 1. *&* 3. ut & Seneca *in lib. de conſolat. Majores*, inquiens, *ſpatium decem menſium viros lugentibus dederunt.* Valentinianus tamen deinceps ac Theodoſianus Impp. inſuper duos adjiciendo menſes, annum integrum luctui à fœmina tribui voluerunt. *l.* 2. *C. d. ſec. nupt.* Idque forſitan, uti cum Connano

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34

conjecturare nobis liceat, quia mulier etiam poſt decem menſes legitime parere poſſet.

§. V.

Quid vero ſi mulier poſt habitâ hac lege ſtatim ab exequiis mariti in ſecundum proruat lectum? Nuptiæ tunc quidem ſubſiſtunt, fœmina autem infamiæ notam incurrit. *l.* 1. *ff. d. his qui not. inf.* Atque omnia, quæ de prioris mariti bonis, vel jure ſponſalium vel judicio defuncti conjugis conſecuta fuerat, amittit. *l.* 2. *C. de ſec. nupt.* neque præterea ſecundo viro ultra tertiam partem bonorum in dotem dare, neque ei ex teſtamento plus quam trientem relinquere poteſt. *l.* 1. *C. eod.* adeoque infeſta eſt lex nuptiis intra annum luctus contractis, ut non tantum mulieri, ſed etiam ei, qui ipſam ſciens conditionem ejus ducit, infamiæ notam inurat. *l.* 11. *§. ult. ff. d. his qui not. inf. l.* 15. *C. eod.*

§. VI.

Hoc ita Jure Civili, à cujus ſanctione in quantum diverterit Jus Canonicum apertiſſimum eſt *ex cap. pen. & fin. X. d. ſecun. nupt.* Ubi citra omnem infamiæ metum plena fit ſuperſtiti poteſtas quandocunque velit, ſtatim etiam poſt mortem mariti ad ſecunda vota libere transſeundi. Ac ſola licet infamia ibi nominatim tantum remittatur, quaslibet tamen immaturitatis pœnas illic ſub infamia intelligi, atque ad eas hanc remiſſionem extendi, ex libera, quæ dicto loco conceditur, facultate haud obſcure vulgo colligitur, adeo ut communem fere hanc DD. opinionem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34

nionem eſſe ex pluribus probet autoribus Groenew. *ad l.* 1. *C. d. ſecund. nupt.*

§. VII.

Volunt quoque nonnulli hanc Juris Canonici remiſſionem moribus omnium Chriſtianorum unaminiter receptam eſſe, inter quos Gudel. *d. Jur. noviſſ.* Fab. *Cod. lib.* 5. *tit.* 5. *def.* 1. Quod reſpectu infamiæ negari quidem nequit, cum hodierna praxi non tam facile ad infamiam procedatur. Schotan. *in fin. ad tit. d. his qui not. inf.* Haud tamen ubique nimiam ad ſecundas nuptias properationem impunè ferri teſtantur novæ ſanctiones, quæ de lugendi tempore ſtatutis municipalibus alicubi ſunt conditæ. Quemadmodum Carpzov. *Jur. Conſiſt. lib.* 2. *def.* 159. *&* 162. demonſtrato prius quam infeliciter Pontifices ad juſtificandum hoc ſuum decretum auctoritate abutantur Apoſtolica 1. *ad Corint.* 7. *in fin.* deſerte probat annum luctus integrum in Saxonia ex Jure Civili, ſub arbitraria coërcitione tamen, revocatum eſſe. De Friſia quoque refert D. Huber. *in Prælect. ad ff. de rit. nupt.* novem ibi menſes luctui eſſe præfinitos, quos tamen apud Batavos ad ſemeſtre ſpatium redactos eſſe affirmat Groeneweg. *ad l.* 2. *C. d. ſec. nupt.* At nullas fere gentes hac parte ad veterem Juris Civilis ſanctionem propius quam noſtrates acceſſiſſe conſtat ex *Landr. tit. de donat. int. vir. & uxor.* §. 3. *in fin.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34

§. VIII.

Hactenus de fœminis, quibus lugere honeſtum, viris meminiſſe, inquit Tacitus. Maritus itaque lugere uxorem non compellitur, *l. 9. ff. d. his qui not. inf.* Viri enim non turbant ſanguinem, non debent uxoribus reverentiam, nec nomen ab iis tenent, uti Wiſſenb. ait *d. tit. C. d. ſecund. nupt.* Hæ tamen rationes, cum viduum ad ſecunda vota nimis feſtinantem apud viros honeſtos ac graves ſiniſtra ſuſpicione neutiquam levare queant, nec abſque publico ſcandalo in rogo prioris conjugis novæ maritales accendantur faces: Hinc maritos quoque longiori aliquo tempore, ad minimum ſemeſtri durante ſpatio, à novis retardare conjugiis publica honeſtatis reputatio dictare videtur. Hub. *d. rit. nupt. in fin.* Carpz. *Jur. Conſ. lib. 2. def. 160.*

CAPUT III.

§. I.

Sed tranſeamus nunc ad pœnas, quibus, peracto licet legitimo luctus tempore, Succeſſivam Polygamiam, coërceri adhuc atque refrænari videmus. Eas autem accuratè loquendo non tam pœnas eſſe, quam beneficia, in compenſationem damni iteratis nuptiis illati, liberis prioris matrimonii legibus indulta, vel maxime exinde colligitur, quod nullis exiſtentibus liberis, nihil in Jure, quod inſtar pœnæ videri poſſit reperiatur: aſt uſitatum ſequamur loquendi modum.

§. II.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34

§. II.

Has itaque pœnas ad ſecunda vota migrantes patiuntur, vel in bonis ex priori matrimonio acquiſitis, vel in bonis propriis. De illis hoc modo ſancitum reperimus in *l.* 3. *C. d. ſecund. nupt.* Quicquid bonorum digami parentes ex facultatibus primi conjugis quovis titulo lucrativo, inter vivos aut mortis cauſa, aſſecuti fuerint, illius proprietatem ad ſecunda convolando vota, ſolo tantum uſufructu quam diu vixerint retento, penitus amittunt: eademque bona integra atque illibata, vel omnibus prioris matrimonii liberis, vel uni illorum, ſervatâ aliis legitimâ, reſervare tenentur. De matre quidem ſola loquitur *d. l.* 3. idem tamen reſpectu patris obtinere docet *l.* 5. *C. eod.*

§. III.

Pertinet autem hæc conſtitutio non ſolum ad *bona*, quæ immediatè à primo conjuge, ſed & ad ea, quæ per ſucceſſionem liberorum prioris matrimonii ad conjugem ſecundo contrahentem peruenerunt. *l.* 3. *§. fin. C. d. t.* Olim quidem indiſtincte *d. l.* 3. jure novo tamen requiritur, ut illa ſucceſſio facta ſit ab inteſtato, nam ex teſtamento ſuperſtes filio non ut parens, ſed ut quilibet extraneus ſuccedit. Auth. *ex text. C. d. t.* Similiter bona aliunde, quam ex ſubſtantia paterna maternave ad filium profecta, binubo parenti pleno jure ac pro arbitrio diſtribuenda cedunt. *dict. Auth.* Sand. *lib.* 2. *tit.* 3. *def.* 3.

B
68

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34

§. IV.

Quod vero, uti dictum, antea per *l.* 3. *C. d. ſec. nupt.* conceſſum erat parentibus lucra nuptialia inter libros prioris matrimonii pro lubitu diſtribuere, illud deinceps â Juſtiniano penitus ſublatum videmus in *nov.* 2. *cap.* 1. *nov.* 22. *cap.* 25. ubi, excluſa omni parentum electione, ad omnes filios filiaſve ex æquali diviſione talia lucra pertinere voluit, quoniam æqua omnibus repetitione matrimonii irrogatur injuria. Quin etiam liberi, ab hereditate licet parentis defuncti penitus abſtineant, hoc jus ſuum prorſus illibatum retinent *Auth. Hæ res C. d. ſec. nup.* modo tamen per legalem aliquam ingratitudinis cauſam ſe omni ſucceſſione indignos neutiqnam præbuerint. *l.* 10. *C. d. t. nov.* 22. *cap.* 26. *§. & ſuper iis.*

§. V.

Porro facienda eſt diſtinctio liberorum, qui ex diverſis procreati ſunt matrimoniis, ut videlicet lucra nuptialia liberis ejuſdem conjugii unde bona venere propria ſervari debeant. *l.* 4. *C. d. t.* adeo ut, ſi alter parentum poſt ſecundas in tertias conceſſerit nuptias, bona quibus auctus eſt ex ſecundis nuptiis, ad ſolos ejuſdem matrimonii liberos pertineant, excluſâ tam primi quam tertii conjugii progenie *nov.* 22. *cap.* 29.

§. VI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34

§. VI.

Pro conſervandis autem hiſce nuptialibus lucris aliiſque bonis, quæ à prioris matrimonii ſobole ad binubum parentem pervenerunt, liberi tacitam habent hypothecam in omni parentis facultate tam præſenti quam futura *l.* 6. §, 2. *l.* 8. §. 4. *C. d. ſec. nupt.* In majorem quoque ſecuritatem præterea ſancitum eſt, ut matres ſecundo nubentes pro rebus mobilibus, quæ hiſce nuptialibus lucris continentur idoneam liberis cautionem præſtent. *l.* 6. §. 1. *C. d. t.* Quod tamen â patribus in *d. l.* neutiquam exigitur, quoniam patres uſufructuarii paternâ reverentiâ ab omni cautione excuſantur *l.* 8. §. 4. *infin. C. d. bon. quæ lib.*

§. VII.

Videamus nunc quomodo in propriis coërceantur bonis binubi parentes. Nobiliſſimam hac de re habemus conſtitutionem in *l.* 6. *C. d. ſec. nupt.* Qua parentes utriusque ſexus ad ſecunda vota trangreſſi prohibentur ex ſuis bonis, ullo titulo neque inter vivos neque ultima voluntate, dare aut relinquere novo conjugi plus quam contulerint in unum ex liberis prioris matrimonii: ac ſi forte inter hos inæqualis â parente facta fuerit bonorum diviſio, tantum ſolummodo in ſecundum conjugem conferre licet, quantum is habet, cui minimum ceſſit. *Nov.* 22. *cap.* 27. modo filius ille non fuerit juſte exheredatus, vel minus habeat portione legitima *d. l.* 6. *l.* 10. *C. eod.*

§. VIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34

§. VIII.

Quid vero ſi amplius, quam licet novercæ vel vitrico datum relictumve fuerit? Juſtinianus primo quidem illud inter liberos tam ſecundi quam prioris matrimonii æquis portionibus partiendum ſenſit. *l. 9. C. d. ſec. nupt.* Hoc autem deinceps emendans in *Nov.* 12. *c.* 27. ſtatuit, ſuperfluum iſtud ſolis ex priori matrimonio liberis tribuendum eſſe, quia ſolo ipſorum reſpectu ſuperfluum dicitur atque eorum cauſa hoc ita ſancitum ac obſervatum videtur. Sand. *lib.* 2. *tit.* 3. *def.* 6. Quo tamen non obſtante, binubis parentibus arbitrium poſterioribus liberis plus, quam prioribus relinquendi ſemper manſiſſe probat. Wiſſenb. *ad ff. diſp.* 45. *n.* 10.

§. IX.

Præterea hujus legis conſtitutio locum habet non ſolum exiſtentibus liberis, ſed etiam nepotibus. *d. l.* 6. Horum tamen non capita ſed ſtirpem ſpectandam eſſe verius videtur, ita ut ſi plures ex eodem filio ſuperſint nepotes, ſecundo conjugi plus quam ſingulis nepotibus non plus quam univerſis relinqui poſſit. Mynſ. 5. *obſ.* 24. *n.* 4. Sand. 2. 3. 5.

X.

Nec repugnat huic legi, quod dicitur in *l.* 18. *C. d. donat. ant. nupt.* Parentem, ad ſecundas nuptias ſive migraverit ſive non, minime cogi prioris conjugii liberis quicquam ſervare ex dote aut donatione propter nuptias ad ſe reverſa. Illud enim verum eſt,

ſi

ſi parens alia bona præter donationem illam vel dotem habeat, ex quibus tantundem liberis præſtare poſſet, quantum novo reliquerit conjugi; ſin autem nihil præterea in bonis poſſideat, virilem tantum portionem in ſecundum conjugem conferre poteſt. vid. Cujac. ut ex Ritteſsh. *ad N.* 22. Atque haſce duas ſecundarum nuptiarum coërcitiones, tam in lucris nuptialibus quam in propriis bonis, uti paſſim teſtante Hubero *ad tit. d. rit. nupt.* ſic & apud nos conſtanter ſervari patet ex jure noſtro ſtatutario. *tit. d. donat. int. vir. & uxor.* §. 3. *ac* 10. *pag. mihi* 15. *&* 17.

§. XI.

Pœnæ de quibus hactenus parentes utriusque ſexus feriunt. ſequuntur & aliæ, quæ ad matres ſolummodo ſpectant. Matribus ſcilicet, quæ ſuſcepta liberorum tutela, ad ſecundas transeunt nuptias non tantum tutela ſed educatio quoque liberorum ſuorum adimitur *l.* 2. *& Auth. ſeq. C. quand. mul. tut. off. l.* 1. *ubi pup. educ.* Idque ne forte, uti ſolent plerumque binubæ matres per. *l.* 22. §. *ſervi autem C. d. admin. tut. vel cur.* novo marito non ſolum res filiorum ſed vitam etiam addicunt. Quare autem idem in patre non obtineat, ratio diſparitatis videtur, quod viri generaliter non ſint in manu ſecundarum uxorum, ſic ut hæ maritis ſunt obnoxiæ Hub. *ad tit. rit. nupt.* Tum etiam, quod conſentaneum ſit, matrem facilius tutela excidere, quæ contra vetuſtatis auctoritatem ei delata eſt, quam patrem eo jure privari, quod præcipuam partem patriæ poteſtatis, quæ antiquisſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34

ma, & à perſona ejus inſeparabilis eſt, conſtituit. Wiſſeub. *ad tit. C. quand. mul. tut. off.*

§. XII.

Quoad educationem vero mores veterem illum rigorem penitus depoſuiſſe, hodieque pupillos apud matrem honeſtam, etiamſi novo copulata ſit marito, pasſim educari teſtantur Perez. Wiſſenb. & Groenew. *ad tit. C. ubi pup. educ.* tutelæ tamen reſpectu moribus hodiernis nihil immutatum eſſe, eamque matribus ob iteratas nuptias nunc æque ac olim auferri probant iidem autores *ad tit. C. quand. mul. tut. off.* ut & Sand. *Sand. lib. 2. tit. 9. def. 3.*

§. XIII.

Sed mireris forte, nec immerito, ut videtur, quomodo fieri posſit, ut matre ſummota vitricus loco ejus ſurrogetur, cum is propter quem mater eſt ſuſpecta, ipſe magis ſuſpectus eſſe deberet. Illud nihilominus tam jure Pandectarum & Codicis *arg. l. 32. §. 1. ff. d. adopt. l. ult. C. d. contr. jur. tut. l. 2. C. d. interd. matrim. int. pup.* Quam hodierno uſu, modo judici ita viſum fuerit obtinere docent. Groenew. *ad tit. C. quand. mul. tut. off.* Wiſſenb. *ad ff. diſp. 44. num. 16.* nec non D. Hub. *part. 1. Digreſſ. lib. 3. cap. 12. num. 3.* ubi & cauſam hujus rei addit juſtificam.

§. XIV.

Olim quoque mulier ad ſecunda vota tranſiens uſumfructum bonorum ſibi à priori marito relictum amit-

amittebat, eumque liberis præcedentis matrimonii reſtituere cogebatur *l. un. C. ſi mul. ſec. nupſ.* Verum deinceps à Juſtiniano abrogatum hoc eſt *in Nov.* 22. *cap.* 32. Nec locum amplius habet, niſi maritus diſerte caverit, ne diutius, quam ad ſecundas nuptias uſusfructus maneret *Auth. hoc locum C. ſi ſec. nuſ. mul.* ad eoque cum antiqua hæc pœna hodie ceſſet, eam vel attigiſſe ſufficiat.

§. XV.

Denique & illud moneamus, proprie ſecundarum nuptiarum pœnam non eſſe, quod matrona honorem ac dignitatem, quæ ex priori marito ei adhæſerat, vilioris conditionis alicui nubendo amittat. *l.* 8. *ff. de Senat. l.* 10. *C. d. nupt. l.* 13 *C. d. dignit.* Mulier enim ſecundi mariti ſequitur conditionem, non quia ſic iteratæ nuptiæ puniendæ ſunt, ſed quoniam hoc fert natura juſti conjugii, ut mariti, tanquam capitis, digniratem ſequatur uxor, ejuſque, ut Imperatores loquuntur radiis coruſcet.

CAPUT IV.

§. I.

Perſpectis hiſce ſecundarum nuptiarum pœnis reliquum eſt, ut caſus, quibus eas ceſſare volunt Interpretes, breviter perſtringamus. Primus itaque illorum ponitur à Groenew. ſi ex priori conjugio nulli extent liberi, ſive illi ante ſive poſt ſecundas nuptias diem obierint. Huic equidem caſui, nihil eſt, quod op-

 poni

poni poteſt. cum non tanrum legibus expreſſis. *l.* 3. *C. infin. d. ſci. nup. l.* 6. *C. eod. verb. quod à filiis.* ſed & ſolidiſſima nitatur ratione, quæ dictat, quod, cum in gratiam ſolummodo ac favorem liberorum prioris matrimonii, uti dictum ſupra, binubi coerceantur parentes, liberis illis non exiſtentibus, coercitio quoque ceſſare debeat.

§. II.

De altero caſu, quem evenire dicunt, ſi ſuperſtes conjux ex voluntate defuncti ad ſecundas migraverit nuptias, magis inter DD. controverti ſolet: à quibuſdam enim ſimpliciter illa exceptio agnoſcitur, inter quos Gail. *lib.* 2. 96. 98. *n.* 68. Tab, *Cod. lib.* 5. *tit.* 5. *def.* 5. *Groen. ad tit. C. d. ſce. nupt.* Ab aliis vero, & quidem tutius, ut videtur hiſce rationibus ea refellitur. Primo, quod nemo poſſit facere quo minus leges in ſuo teſtamento valeant. *l.* 55. *d. leg.* 1. Tum quod in omnibus teſtatoris voluntas, ſaltem quæ legitima eſt, dominari cenſeatur *l.* 23. *§.* 1. *in-fin. C. d. legat.* Denique patrem, quamvis alioquin liberis ut heredibus prohibere poſſit, ne beneficio legum utantur id tamen voluiſſe ex ſimplici ſecundarum nuptiarum permiſſione minime videri. Wiſſenb. *ad ff. diſp.* 45. *th.* 3. Hub. *ad ff. tit. d. rit. nupt.*

§. III.

Tertius ponitur caſus, ſi liberi prioris thori iteratis parentum nuptiis aſſenſum præbeant. Si expreſſim id faciant, ſimulque jus, quod habent, remittant, inter omnes convenit hiſce legum pœnis binubi parentes

rentes liberari Wiſſenb. *dict. diſp. n.* 4. Fachin. 3. *cont.* 65. Cum enim ſecundo nubentes puniantur in gratiam liberorum *Nov.* 2. *cap.* 1. Illi quoque citra omne dubium huic favori pro ſe introducto renunciare poterunt *l. pen. C. d. part. l.* 69. *d. R.* 1.

§. IV.

Quid ſi tacite liberi in ſecundas parentum conſenſerint nuptias, quod contingere ait Groeneweg. *ad l.* 3. *d. ſecund. uupt.* ſi trinis publicis nuptiarum promulgationibus non contradixerint, an per tacitum illum conſenſum itidem hæ pœnæ ceſſabunt? Multi audacter illud affirmant veluti Groeneweg. *ad d: l.* Gail. *l.* 2. *Obſerv.* 98. *num.* 22. atque ita judicatum refert. Fab. *Cad. lib.* 5. *tit.* 5. *def.* 5. Aliis vero ut & nobis per iniquum videtur, ut liberi prioris conjugii per nudam hanc acquieſcentiam legali jure ſuo priventur, cum alioquin nemo ſua voluntate jus ſuum amittat, niſi qui ſpecialiter aut ſaltem expreſſe renunciaverit *l.* 4. §. 3. *ſi quid caut. jud. ſiſt. cauſ. non obt.* Nec quicquam peccaſſe cenſemus liberos aſſenſum præbendo rei omni jure licitæ, quam nec diſſenſu ullo modo potuiſſent morari, ſecundum vulgatam Doctorum regulam, ut qui contradicendo actum impedire nequit, nullum conſentiendo ſibi pariat præjudicium *l.* 39. *ff. de pignor. act.* Bacchov. *ad Treutl. vol.* 2. *diſput.* 16. *theſ.* 4. *l. D. Fach. l.* 3. *cont.* 65.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34

§. V.

Quartum præterea adjiciunt caſum, ſi parens à principe ſecundas impetraverit nuptias Groeneweg. *ad d. l. C.* Verum cum principis venia non ſoleat exorari, niſi intra annum luctus quis nubere velit *l. 10. ff. d. his qui not. infam.* ſequitur exinde hanc veniam operari ſaltem ad abolendas pœnas matrimonii intra annum luctus contracti, minime vero ad amiſſionem beneficiorum, quæ dantur liberis ex priori conjugio procreatis. Nec valebit ab odio veraque ſecundarum nuptiarum pœna, ad illud, quod in favorem aliorum conſtitutum eſt conſequentia.

§. VI.

Denique coronidis loco addamus, quid emolumenti ex ſervata caſtitate ac filiorum ſuorum affectione redundet in parentes, qui ad alias nuptias neutiquam migrare voluerint. Jure Codicis equidem in viduitate permanentes, quicquid ex priori matrimonio ad eos pervenerat, pleno lucrabantur Jure domini *l. 5. §. ult. C. de ſecund. nupt.* nec quicquum Juris in lucris nuptialibus liberis competebat, niſi parentes inteſtati deceſſiſſent, quo caſu, quæ non alienata reperiebantur, Jure vindicabant filii, aut ex illis nepotes, etiamſi heredes non exiſterent *l. 6. §. ult. l. 8. §. 1. 2. 3. C. de ſecund. nupt.*

§. VII.

Attamen deinceps Juſtiniano placuit, ut omnia lucra, quæ mortuo parente alterutro ad ſuperſtitem per-

perveniſſent integra ſervarentur liberis ex eodem matrimonio procreatis, uſufructu ſaltem manente penes ſuperſtitem ſive ad ſecunda vota convolaſſet ſive in viduitate permanſiſſet. *Novell.* 98. *cap.* 1.

§. VIII.

Tandem vero idem Imperator exiſtimans parentes ad ſecundas nuptias non venientes ultra eos, qui ſecundo nubunt, portione aliqua dignos eſſe, ſuperius placitum rurſus mutavit, atque in ea ſubſtitit ſententia, ut ſuperſtes, qui quæve ſecundis abſtinet nuptiis, præter uſumfructum totius lucri nuptialis, tantum habeat proprietatis, quantum unus filiorum ſit habiturus *Novell.* 127. *cap.* 3. Atque & hic nobis ſubſiſtere liceat, quod facimus enixiſſime rogando, ut æqui bonique dictis conſulatur.

COROLLARIA.

I.

Jus Gentium à Jure Naturali diſcrepare videtur.

I I.

Liberi fratrum ſoli Jure Civili quoque ſuccedunt in capita.

III. *Em-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34

III.

Emptor hereditatis non habet jus accreſcendi.

IV.

Maritus revera eſt dominus rerum dotalium.

V.

Fœmina, extrajudicialiter etiam, recte renuntiat beneficio SC. Vellejani.

VI.

Juris Canonici conſanguinitatis gradûum computatio manifeſta abſurditate laborat.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
194 M 34